PROPRIUM
MISSARUM DE SANCTIS

AB APOSTOLICA SEDE

PRO DIŒCESI SIBENICENSI ADPROBATUM

ET

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI D. D.

PETRI DOMNII MAUPAS

EPISCOPI SIBENICENSIS

JUSSU EDITUM



BASSANI

TYPIS ANTONII ROBERTI

MDCCCLX.

IMPRIMATUR.

Sibenici 2 Februarii 1860

(L. ✠ S.) PETRUS DOMNIUS EPISCOPUS m. p.

TABULA

Pro Missis Votivis privatis celebrandis.

VOTIVA	COLOR	MISSA	GLORIA	CREDO	PRÆFA-TIO	BENED. DOM.	ORATIONES
SS. Trinitatis	Albus	Propria	Omittitur	Omittitur	Propria	Bened. Dom.	2. et 3. diei currentis
Spiritus Sancti	Rubeus	Propria	Omittitur	Omittitur	Propria	Bened. Dom.	ut supra
SS. Euchari-stiæ	Albus	Propria	Omittitur	Omittitur	de Nativ.	Bened. Dom.	ut supra
Passionis	Violaceus	Propria	Omittitur	Omittitur	de Cruce	Bened. Dom.	ut supra
S. Crucis	Rubeus	Propria	Omittitur	Omittitur	de Cruce	Bened. Dom.	ut supra
De B. V. Mar.	Albus	Propria rat. temp.	Omittitur extra Sabbat.	Omittitur	Propria	Bened. D. extra Sabbat.	2. diei cur. 3. de Spiritu Sancto
Ss. Angelorum	Albus	Propria	Semp. dicit.	Omittitur	Comm.	Ite Miss.	2. et 3. diei currentis
Ss. Apostolorum	Rubeus	Propria rat. temp. *)	Omittitur	Omittitur	de Apostolis	Bened. Dom.	ut supra
S. Joann. Bapt.	Albus	Propria de Nativit. Or. de Vig.	Omittitur	Omittitur	Comm.	Bened. Dom.	ut supra
Omnium Sanctorum	Albus	Propria rat. temp. **)	Omittitur	Omittitur	Comm.	Bened. Dom.	ut supra
Pro quac. necess. etc.	Violaceus	Propria	Omittitur	Omittitur	Comm.	Bened. Dom.	ut supra

*) Temp. Pasch. Protexisti, ut 25 April., except. Orat., Epist. et Evang.

**) Extr. Temp. Pasch. Timete Dominum, ut 8 August., 1 Orat. Concede quæsumus, cum rel. num. 1 inter Orationes ad Diversa; Epist., Evang. et rel. ut in Fest. Omn. Ss. - Temp. Pasch. Sancti tui, de Com. pl. Mm., 1 Orat. ut sup. Si 3 Or. sit Concede, vel A cunctis, dic. de Spiritu Sancto.

In Missis Votivis, si celebrentur infra Oct., omitt. semper Gloria (except. Vot. de Angelis, et de B. V. in Sab.), et Credo; dic. Præf. de Octav., nisi Vot. habeat propr., Communic. vero de Oct., si propr. habeat; et in fine semper Evang. S. Joann. In principio.

Si in iisdem Missis occurr. voces Natalitia, Festa et similia, dic. Commemoratio, vel Memoria; Si Hodie, Hodierna die, etc. omittantur.

Non licet Missam Votivam cujuscumque Beati celebrare, nisi ex particulari concessione, quæ sit expressa in ejus Decreto. Ita Bissus, Guyetus, nec non Meratus.

REGULA

Pro celebrandis Officiis et Missis Defunctorum ex S. R. Congr. Decretis excerpta.

1) Anniversaria pro omnibus in genere defunctis non possunt celebrari quando fit Officium de duplici.

2) In die obitus, tertio, septimo, trigesimo et anniversario, et quoties Officium fit cum solemni pompa, dicitur Invitator. et duplicantur Antiphonæ.

3) Tres Nocturni dici debent diebus supra notatis nisi obstet rationabilis causa, nempe angustia temporis vel consuetudo. Hoc in casu dicendum est primum Nocturnum cum Laudibus.

4) Psalmi De Profundis et Lauda omittuntur in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, et in die obitus seu depositionis alicujus defuncti, etiamsi non sit præsens cadaver.

5) In fine Officii semper dicuntur ℣℣. Requiem æternam et Requiescant in pace, quamvis immediate sequatur Missa.

6) Officium defuntorum (etiamsi sine Missa sed cum sola Absolutione) prohibetur quibus diebus non posset cantari Missa pro die anniversario: licet tamen post absolutum Officium diei.

7) Quoties cantari potest Miss. de Req., licet etiam celebrare Offic.

8) Dies in quibus prohibentur Missæ Defunctorum:

SOLEMNES			PRIVATÆ
IN DIE OBITUS		in 3, 7, 30 et anniv.	etiam præsente corpore
præsente corpore	non præsente corpore		
In omnib. Dupl. 1. cl. festis de præc. except. Fer. 2. et 3. Pasch. et Pent. In fest. Dedication. et Titul. propr. Eccl. In 2. triduo Maj. Hebdomedæ.	In Dominicis privil. 1. class. In Duplic. 1. class. In Fer. IV. Cinerum. In tota Maj. Hebdom. In Vigilia Pentec. In Vigilia Nativ. Dom. Infr. Oct. privil. Epiph., Pasch., Pentec., Corp. Chr. et Nativ. Dom.	In Dupl. 1. et 2. class. In Domin. et Fest. de præcepto. Infr. Octav. Epiphan., Pasch., Pentec., Corp. Chr., et Nativ. Dom. In Fer. IV. Cinerum. In tota Maj. Hebd. In Vig. Pentec., Nativ. et Epiph. Dom.	In Dieb. Dominicis. In Officio Duplici. In Vigil. et infr. Oct. Epiphan., Pasch., Pentec. et Nativ. Domini. Infr. Oct. Corp. Chr. In Fer. IV. Cinerum. In tota Maj. Hebd.
Durante Expositione Sanctissimi Sacramenti.			

9) Cum primum accipitur nuntium de obitu alicujus in loco dissito, potest cantari Missa etiam in festa Dupl. Maj., quod non sit de præcepto. Si nuntium accipiatur Sabbato post meridiem, potest cantari Feria secund. sequenti, etsi Officium sit Duplex non festivum.

10) Diebus Dominicis et Festivis per annum, ubi una tantum celebratur Missa, etiamsi cor-

pus sit præsens, Missa debet cantari de die, et Missa de Requiem debet transferri ad primam diem non impeditam.

11) Si dies 3, 7, 30 vel Anniv. incidat in diem Dominicum vel Festivum de præcepto, Officium et Missa ex dispositione Testatoris dicenda possunt anticipari, vel transferri in diem immediate sequentem. Quod si etiam hi dies fuerint impediti, tunc expectandum est Offic. Semid.

12) Missæ de Req. pro quibus a Testatore dies non sunt præfixi, debent cantari diebus a Rubrica permissis: quoties autem dies ex dispositione Testatoris præfixi impediuntur aliquo Festo de præcepto, Missæ cantari possunt diebus antecedentibus vel sequentibus ut dictum est supra ad N. 11.

13) Si quis petat cantari Missam pro defuncto in die 3, 30 et primo annivers. ab illius obitu, id fieri potest etiam in duplicibus majoribus; sed si dies illa est impedita, minime transferri potest Missa in aliam diem in qua fiat de Duplici.

14) Quoties ob aliquam rationabilem causam (puta ob defectum Assistentium) in die obitus seu depositionis defuncti, vel in ejus anniversario cantari non potest Missa (quæ tamen per Rubricas non prohiberetur) licet celebrare Missam priv. de Req.

15) Missæ privatæ de Req. certis diebus ex Benefactorum præscripto celebrandæ si incidant in Festum Duplex non sunt transferendæ, sed dicantur de Festo currenti cum adplicatione Sacrificii juxta mentem Benefactorum, quo casu suffragatur defunctis etiam Indulgentia si celebrentur ad Altare privilegiatum.

16) Qui dicit Missam de Req. communiter pro defunctis, neque scit determinate pro quibus celebrat, dicat Missam quotidianam prout in Missali cum secunda Oratione ad libitum. Si vero celebrat pro determinata persona, prima Oratio erit quæ ipsi personæ congruit, secunda ad libitum, tertia Fidelium.

17) Pro personis ecclesiasticis in die obitus, 30 et anniv. semper dicitur Missa prima cum Oratione earum dignitati conveniente: extra hos dies dicitur Missa quotidiana cum suis orationibus.

18) In Missis Defunctor. semper dicit. Præf. Communis et in fine ℣. Requiescant in pace. Quibus diebus dicendum est Invitatorium in Officio, dicenda est etiam unica Oratio et Sequentia Dies iræ. Permittitur etiam pulsari Organum, sed sono quodam moesto et lugubri.

19) Qui recitavit Officium de festo dupl. si celebret in Eccles. quacumque ubi dicitur Offic. de Semidupl., non potest celebrare Missam priv. Defunct. Si autem ibi fiat Offic. pro Defunct. cum pompa, vel cum populi concursu, debet se conformare illi Ecclesiæ in qua celebrat.

20) Qui recitavit Officium Semid. si celebret in Ecclesia quacumq. ubi sit Dupl., non potest dicere Missam de Requie.

21) Diebus impeditis non potest pro Defunctis cantari Missa de currenti festo, facta post Missam Absolutione ad lecticam, sed omnino debet transferri juxta Rubricas.

22) In Missa Defunct., urgente necessitate, adhiberi potest color violac.

23) In Paramentis nigris non est administranda Communio fidelibus cum Particulis præconsecratis, scilicet extrahendo pyxidem a custodia.

TABULA

Pro celebranda Missa Votiva pro Sponso et Sponsa.

DIES	MISSA	COL.	GLOR.	ORATIONES	CREDO	PRÆFATIO	BENEDICTIO
In Dupl. min. et maj. vel semidup.	Votiva pro Sponsis.	Albus	Omittitur.	2. Officii curr., 3. vel *A cunctis*, vel B. M. (pro diversitate tempor.) vel simpl. vel Fer.	Omittitur	Communis	Benedicamus Domino
In Festis infra Octav. non priv.	Votiva pro Sponsis.	Albus	Omittitur.	2. Officii curr., 3. de Oct. 4. de Simpl., si adsit.	Omittitur	Ut in Calendario	Benedicamus Domino
In Offic. de Octava non priv.	Votiva pro Sponsis.	Albus	Omittitur.	2. de Octava, 3. quæ notat. in Cal. dic. sec. loco.	Omittitur	Ut in Calendario	Benedicamus Domino
In Festis Dupl. 1. et 2. class.	De eodem Festo	Ut in Calendario	Dicitur.	quæ notant. in Cal. et ult. loco Orat. pro Sponsis.	Ut in Calendario	Ut in Calendario	Ite Missa est.
In Dom. et Festis de Præc.	Quæ notat. in Calendario	Ut in Calendario	Ut in Calendario	quæ notant. in Cal. et ult. loco Orat. pro Sponsis.	Ut in Calendario	Ut in Calendario	Ut in Calendario
Infra Oct. Epiph.	De Octava	Albus	Dicitur.	1. 2. et 3. ut notant. in Cal., 4. pro Sponsis.	Dicitur	De Epiphan.	Ite Missa est.
In Vigil. Pentec.	De Vigilia	Rubeus	Dicitur.	2. Orat. pro Sponsis sub unica conclus.	Omittitur	De Spir. S.	Ite Missa est.
Infra Oct. Pentec.	De Octava	Rubeus	Dicitur.	1. et 2. ut notant. in Cal., 3. pro Sponsis.	Dicitur	De Spir. S.	Ite Missa est.
Infra Oct. privil.	De Octava	Ut in Calend.	Dicitur.	1. 2. et 3. ut notant. in Calend. 4. pro Sponsis.	Dicitur	Ut in Calendario	Ite Missa est.
In die Octav. Corp. Christi.	De Octava	Albus	Dicitur.	quæ notant. in Cal. et ultimo loco pro Sponsis.	Dicitur	De Nativitate	Ite Missa est.

NOTANDUM.

Si mulier est vidua, Missa propria pro Sponso et Sponsa nec non Benedictio nuptiarum semper omittuntur.

PROPRIUM MISSARUM
DE SANCTIS
AD USUM CLERI, CIVITATIS ET DIŒCESIS SIBENICENSIS

FESTA JANUARII.

DIE XIV.

In Festo S. Petri Urseoli Confessoris.
Missa ut in Missali Veneto.

DIE XXIII. JANUARII.

Desponsationis B. Mariæ Virginis.
Missa ut in Missali Veneto cum Commem. S. Joseph et Simpl.

DIE XXVIII. JANUARII.

S. Anastasiæ Viduæ et Mart.
Missa Cognovi de Com. nec Vir. nec Mart. pr. seq.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatam Anastasiam Martyrem tuam in flammis tibi canentem, glorioso coronasti triumpho, concede, nos ejus intercessione charitatis igne ita incendi in terris, ut in cœlis tuas laudes perpetuo canére mereamur. Per Dominum.

Secreta.

Hæc salutaris hostia áugeat in nobis, Domine Deus, charitatis spiritum, ut B. Martyris Anastasiæ, cujus canimus triumphos, digni efficiamur in sinu æternæ pacis gaudere consortio. Per Dominum.

Postcommunio.

Cœlesti cibo refectos fac nos, omnipotens et miséricors Deus, cœlestes etiam B. Anastasiæ imitári virtutes, ipsiúsque veræ charitatis degustare dulcedinem. Per Dominum.

FERIA III.
post Dominicam Septuagesimæ.
Missa
Orationis Domini Nostri Jesu Christi in Monte Oliveti.

Introitus. Psal. 54.

Cor meum, conturbátum est in me, et formído mortis cécidit super me. Timor et tremor venérunt super me. Psal. 68. Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.
℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo et exemplo nos orare docuisti ad tentatiónum perícula superanda: concéde propitius; ut nos, orationi semper intenti, ejus copiosum fructum cònsequi mereámur. Qui vivis, etc.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos. Hebr. 5.

Christus non semetipsum clarificavit, ut Pòntifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemádmodum et in alio loco dicit: Tu es sacérdos in æternum secundum ordinem Melchísedech. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamore válido, et lácrymis offerens exaudítus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, dídicit ex iis, quæ passus est, obediéntiam. Et consummátus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salútis æternæ, appellátus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchísedech.

Graduale. Psal. 87. Repléta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquávit.

℣. Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio.

Tractus. Psalm. 68. Exaudi me, Domine, quoniam benígna est misericordia tua.

℣. Et ne avértas faciem tuam a púero tuo: quoniam tríbulor velóciter exaudi me.

℣. Psal. 21. Ne discésseris a me: quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui ádjuvet.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucæ 22.

In illo tempore: Egressus Jesus ibat, secundum consuetudinem, in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli. Et cum pervenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lápidis, et positis génibus, orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me. Verúmtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonía, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Credo.

Offertorium. Psalm. 68. Salvum me fac, Deus: quoniam intravérunt aquæ usque ad animam meam.

Secreta.

Hujus sancti sacrificii meritis fac nos, quæsumus Domine, divina institutione formatos curam orationi tam efficaciter impéndere, ut Dominus noster Jesus Christus Filius tuus in exitu nostro vígiles, et a culpa solutos inveniat. Qui tecum vivit.

Præfatio de Cruce.

Communio. Matth. 26. Vigilate et orate, ut non intrétis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Postcommunio.

Refecti alimonia cœlesti súpplices te rogamus, Pater omnipotens, ut per Unigeniti Filii tui Orationis virtutem, nos in tanti corporis et animæ periculis constituti, ad cœlestia regna secúre pervenire mereamur. Per eumdem Dominum, etc.

FERIA III.
post Dominicam Sexagesimæ.
In Commemoratione
Passionis Domini Nostri Jesu Christi.
Missa ut in Missali Veneto.

FESTA FEBRUARII.

DIE III.

S. Blasii Episcopi et Martyris.
Missa ut in Missali Veneto.

DIE VI. FEBRUARII.

S. Dorotheæ Virginis et Martyris.
Missa Loquebar, de Comm. Virgin. et Martyr.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, in cujus nomine gloriosa Virgo et Martyr Doróthea multorum genera tormentorum superavit: te suppliciter exorámus; ut ejus interventu cuncta pericula vincámus, ipsámque in nostris necessitatibus célerem adjutricem sentiamus. Per Dominum.

Si venerit in Quadrag. fit commem. Feriæ.

DIE IX. FEBRUARII.

S. Apolloniæ Virginis et Martyris.
Introitus. Psal. 85.

Fac mecum, Domine, signum in bonum, ut videant qui odérunt me, et confundantur: quoniam tu, Domine, adjuvísti me, et consolatus es me.

Psal. 29. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Spiritum nobis, Domine, dilectionis et fortitudinis Sancta Apollonia Virgo et Martyr imploret, ut peccatorum máculis tua pietate deletis, in tua semper benedictione lætemur. Per Dominum.

Si venerit in Quadrag. fit commem. Feriæ.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 51.

Confitebor tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium, et in conspectu astantium factus es mihi adjutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus, præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum, quæ circumdedérunt me: a pressura flammæ, quæ circùmdedit me, et in medio ignis non sum æstuáta: de altitudine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendacii, a rege iniquo, et a lingua injusta: laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de manibus Gentium; Domine Deus noster.

Graduale. Ps. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluja, alleluja.

℣. Matth. 25. Quinque prudentes virgines accepérunt oleum in vasis suis cum lampádibus: media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte obviam Christo Domino, alleluja.

Post Septuagesimam, omissis Alleluja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Veni sponsa Christi, áccipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum: pro cujus amore sanguinem tuum fudisti.

℣. Psal. 44. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

℣. Specie tua et pulchritúdine tua intende, prospere procéde, et regna.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur Alleluja, alleluja.

℣. Ibidem. Adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi in lætitia, alleluja.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna, alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 25.

In illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exiérunt obviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes: sed quinque fatuæ, acceptis lampádibus, non sumpsérunt oleum secum: prudentes vero accepérunt oleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte obviam ei. Tunc surrexérunt omnes virgines illæ, et ornavérunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixérunt: Date nobis de oleo vestro: quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite potius ad vendentes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime vero veniunt et réliquæ vírgines, dicentes: Domine, Domine, áperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate ítaque, quia nescitis diem, neque horam.

Offertorium. Psal. 16. et 15. Igne me, Domine, examinasti, et non est inventa in me iniquitas: propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

Secreta.

Hæc salutaris hostia áugeat in nobis, quæsumus Domine Deus, charitatis spiritum, ut beatæ Apolloniæ Virginis et Martyris tuæ cujus triumphos cánimus, digni efficiamur æternæ pacis consortio. Per Dominum.

Communio. Psal. 11. Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini Altissimi.

Postcommunio.

Cœlesti cibo refectos, fac nos omnipotens et misericors Deus, cœlestes etiam beatæ Apolloniæ Virginis et Martyris tuæ imitári virtutes, ipsiusque veræ charitatis dulcedinem degustare. Per Dominum nostrum.

DIE XI. FEBRUARII.

Beatorum Septem Fundatorum
Ordinis
Servorum Beatæ Mariæ Virginis.
Missa ut in Missali Veneto.

DIE XII. FEBRUARII.

S. Titi Episcopi Confessoris.

Introitus. Psal. 131.

SAcerdotes tui, Domine, índuant justitiam, et Sancti tui exultent: propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui.

Psal. Ibid. Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Deus, qui beatum Titum Confessorem tuum, atque Pontificem apostolicis virtutibus decorasti; ejus meritis, et intercessione concede; ut juste et pie viventes in hoc sæculo, ad cœlestem Patriam pervenire mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

In Quadragesima fit commemoratio Feriæ.

Lectio
Epistolæ beati Pauli Apostoli
ad Corinthios. 2. Cor. 8.

Fratres: Gratias ago Deo, qui dedit eamdem solicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam exortationem quidem suscépit: sed cum solicítior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Mísimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias: non solum autem, sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam, et destinatam voluntatem nostram: devitántes hoc, ne quis nos vitúperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis. Providémus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram homínibus. Mísimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probávimus in multis sæpe solicitum esse: nunc autem multo solicitiorem, confidentia multa in vos, sive pro Tito, qui est socius meus, et in vos adjutor, sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi. Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, et nostræ gloriæ pro vobis, in illos osténdite in faciem Ecclesiarum.

Graduale. 2. Cor. 7. Consolatus est nos Deus in adventu Titi.

℣. Ibid. 1. Et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

Alleluja, alleluja. ℣. Vineam tuam, dilectissime Tite, prospice de Cœlo, et apud Deum prótege eam, quam plantavit dextera tua, alleluja.

Post Septuagesimam, omissis Alleluja et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Psal. 131. Sacerdotes ejus induam salutari: et Sancti ejus exultatione exultabunt.

℣. Illuc prodúcam cornu David: paravi lucernam Christo meo.

℣. Psalm. 109. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchísedech.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucæ 10.

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portare sácculum, neque peram, neque calceamenta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcumque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic domui; et si ibi fúerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eádem autem domo manéte, edentes et bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. Psal. 39. Annuntiàvi justitiam tuam, veritatem tuam, et salutare tuum dixi: misericordia tua, et veritas tua semper suscepérunt me.

Secreta.

Offerentes tibi, Domine, cœlestia Mysteria, Majestatem tuam humíliter deprecamur, ut pia beati Titi Confessoris tui atque Pontificis intercessione, ad eum feliciter pervenire mereamur in cœlis, quem Patribus nostris per Evangelicam prædicationem manifestavit Jesum Christum Dominum nostrum: Qui tecum.

Communio. Eccli. 15. Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ potavit illum Dominus Deus noster.

Postcommunio.

Concede quæsumus, misericors Deus, ut populus tuus, quem in ipso nascentis Ecclesiæ exordio beati Titi Confessoris tui atque Pontificis curis æternæ vitæ pábulo enutriri disposuísti; eodem nunc apud clementiam tuam intercedente, et de cœlestibus Mysteriis fructuose semper partícipet, et in omni opere bono persevéret. Per Dominum.

DIE XIII. FEBRUARII.

Beatæ Eustochii Virginis.

Missa ut in Missali Veneto.

DIE XIV. FEBRUARII.

Sancti Juliani Martyris.

Missa ut in Missali Veneto, die 12 hujus.

DIE XV. FEBRUARII.

Ss. Faustini et Jovitæ Martyrum.

Missa Salus autem, ut in Comm. plur. Martyrum sed Evangel. Descendens Jesus de monte, etc. ut in Missa; Sapientiam Sanctorum.

DIE XVI. FEBRUARII.

S. Hilarii Episcopi Confess. Eccles. Doctoris.

Missa de Comm. Doctorum.

DIE XVIII. FEBRUARII.

S. Ildefonsi Episcopi Confessoris.

Missa In medio Ecclesiæ, etc. de Communi Doctorum, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui per gloriosissimam Filii tui Matrem beatum Ildefonsum Confessorem tuum atque Pontíficem, misso de thesauris cœlestibus múnere, decorasti: concede propitius; ut per ejus preces et merita, múnera capiamus æterna. Per eumdem Dominum nostrum.

In Quadragesima fit commemoratio Feriæ.

DIE XIX. FEBRUARII.

S. Gabini Presbyteri Martyris.

Missa In virtute tua, etc. de Communi unius Martyris non Pontificis.

Oratio.

Deus, qui beatum Gabinum ætate et virtutibus decorum ad Sanctuarii gloriam sublimasti, illumque inclyta Martyrii palma decorare dignatus es: concede quæsumus; ut in tuo sancto servitio ipsíus instruamur exemplis, et in cunctis adversis patrocinio communiamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

In Quadragesima fit commemoratio Feriæ.

Secreta.

Deus, de cujus múnere venit, ut beatus Gabinus innocens manibus et mundo corde hanc tibi immaculatam hostiam offerret, donec ipse ad Te per forte certamen Martyr gloriosus meruit pervenire: concede propitius; ut ejus meritis et intercessione super oblata munera nostra cœlestis benedictio copiosa descendat. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Postcommunio.

Cœlesti refecti dape, te supplices deprecamur, omnipotens et misericors Deus, ut intercedente beato Gabino Sacerdote et Martyre tuo, quod fide profitemur, pietatis operibus jugiter impleamus. Per Dominum nostrum.

DIE XX. FEBRUARII.

Sancti Leonis Confessoris.

Introitus. Psal. 36.

Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius.

Psal. 20. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Deus, qui beatum Leonem Confessorem tuum in mundi contemptu admirabilem effecisti: præsta quæsumus; ut, intercessionis ejus valido auxilio, fideles tui terrena despiciant, et ad cœlestia semper aspirent. Per Dominum.

In Quadragesima fit commemoratio Feriæ.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Timotheum. 1. Tim. 6.

Charissime: Est quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt dívites fieri, íncidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva: quæ mergunt homines in intéritum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupíditas: quam quidam appetentes, erravérunt a fide, et inseruérunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge; sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei: apprehénde vitam æternam.

Graduale. Jerem. 12. Relíqui domum meam, dimísi hæreditatem meam.

℣. Psal. 72. Quia bonum est mihi adhærere Deo, ponere in Domino Deo spem meam.

Alleluja, alleluja. ℣. Psal. 5. et 131. Introibo in domum tuam: hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo quoniam elégi eam, alleluja.

Post Septuagesimam, omissis Alleluja et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Gen. 12 Egrédere de terra tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi.

℣. Et magnificabo nomen tuum, et benedicam tibi.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 19.

In illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus omnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratione cum séderit Filius hominis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet: et vitam æternam possidebit.

Credo.

Offertorium. Psal. 44. Obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupíscet rex decorem tuum.

Secreta.

Propitius esto, Domine, supplicationibus nostris, et intercessione beati Leonis Confessoris tui omnium nostrum ad te corda converte, ut a mundanis cupiditatibus expedíti, te solum pura mente sectémur. Per Dominum.

Communio. Psal. 118. Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi valde: et levabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi.

Postcommunio.

Fac nos, Domine, per virtutem Sacramenti quod súmpsimus, gloriosa beati Leonis Confessoris tui imitári exempla: ut mundi vanitatem, et sæculi desideria impigre abnegantes in terris, sempiternam cum eo coronam obtinére mereamur in cœlis. Per Dominum.

DIE XXIII. FEBRUARII.

S. Petri Damiani Episcopi Confessoris, Ecclesiæ Doctoris.

Pro Ecclesia Universali.

Missa In medio, etc. de Communi Doctorum, in qua dicitur Credo.

Oratio.

Concede nos, quæsumus, omnipotens Deus, beati Petri Confessoris tui, atque Pontificis mònita et exempla sectari, ut per terrestrium rerum contemptum æterna gaudia consequamur. Per Dominum.

Si hoc festum (in Anno Communi) venerit in Quadragesima primo fit commemoratio Feriæ, postea Vigiliæ Sancti Mathiæ.

In Anno autem Bissextili (nisi fuerit Sabbatum) fit commemoratio Feriæ cum suis Secretis, et Postcommunionibus, ut supra.

Si fuerit ante Quadragesimam (in Anno Communi) fit commemoratio Vigiliæ cum Evangelio in fine: sed in Anno Bissextili (nisi fuerit Sabbatum) unica Oratio.

DIE XXVI. FEBRUARII.

S. Margaritæ Cortonensis Pœnitentis.

Missa ut in Missali Veneto.

FERIA SEXTA POST CINERES.

Sacratissimæ Spineæ Coronæ
Domini Nostri Jesu Christi.

Missa ut in Missali Veneto.

FERIA SEXTA
post Dominicam I. Quadragesimæ.

Lanceæ et Clavorum
Domini Nostri Jesu Christi.

Introitus. Psal. 21.

Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeravérunt omnia ossa mea, et sicut aqua effusus sum.

Psal. Ibid. **Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.**

℣. **Gloria Patri, etc.**

Oratio.

Deus, qui in assumptæ carnis infirmitate Clavis affigi et Lancea vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius; ut qui eorumdem Clavorum et Lanceæ solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriæ tuæ triumpho gratulemur in cœlis. Qui vivis.

Et fit commemoratio Feriæ, et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Lectio Zachariæ Prophetæ.

Cap. 12. et 13.

Hæc dicit Dominus: Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum: et aspícient ad me, quem confixérunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doléri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Frámea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercítuum: pércute pastorem, et dispergentur oves, ait Dominus omnipotens.

Graduale. Psal. 68. **Improperium expectavit cor meum, et miseriam: et sustinui qui simul mecum contristaretur, et non fuit: consolantem me quæsivi, et non inveni.**

℣. **Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me aceto.**

Tractus. Isaiæ 53. **Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.**

℣. **Et nos putávimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.**

℣. **Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.**

℣. **Disciplina pacis nostræ super eum: et livore ejus sanati sumus.**

¶. In Missis Votivis a Pascha usque ad Pentecosten:

Alleluja, alleluja.

℣. **Ave Rex noster: tu solus nostros es miseratus errores: Patri obediens, ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem, alleluja.**

℣. **Tibi gloria, Hosanna: tibi triumphus et victoria: tibi summæ laudis et honoris corona, alleluja.**

¶. Per annum usque ad Septuagesimam omisso Tractu cum seq. versib. dicitur Graduale **Improperium, etc.** cum suo Versu, ut supra, et postea dicitur: **Alleluja, alleluja.**

℣. Ave Rex noster: tu solus nostros es miseratus errores: Patri obediens, ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Joann. 19.

In illo tempore: Sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato cápite trádidit spiritum. Judæi ergo (quoniam Parascéve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogavérunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venérunt ergo milites: et primi quidem fregérunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut vidérunt eum jam mortuum, non fregérunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhíbuit: et verum est testimonium ejus. Credo.

Offertorium. Insurrexerunt in me viri iniqui: absque misericordia quæsierunt me interficere: et non pepercérunt in faciem meam spúere: Lanceis suis vulneravérunt me, et concussa sunt omnia ossa mea.

Secreta.

Sanctíficet nos, quæsumus Domine, hoc sanctum et immaculatum sacrificium vespertinum: quod Unigenitus Filius tuus in Cruce óbtulit pro salute mundi: Qui tecum vivit et regnat, etc.

Præfatio de Cruce.

Communio. Videbunt in quem transfixérunt, cum moverentur fundamenta terræ.

Postcommunio.

Domine Jesu Christe, qui temetipsum in Cruce holocaustum immaculatum et spontaneum Deo Patri obtulisti: quæsumus; ut ejusdem sacrificii oblatio veneranda indulgentiam nobis obtíneat et gloriam sempiternam. Qui vivis et regnas.

FERIA SEXTA
Post Dominicam II. Quadragesimæ.
Sacratissimæ Sindonis Domini Nostri Jesu Christi.

Introitus. Philip. 2.

Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

Psal. 88. Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem, et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Deus, qui nobis in sancta Síndone, qua Corpus tuum sacratissimum e cruce depositum, a Joseph involútum fuit, passionis tuæ vestigia reliquisti: concede propitius; ut per mortem et sepulturam tuam, ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis, etc.

Et fit commemoratio Feriæ, et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Isaiæ 62. et 63.

Hæc dicit Dominus Deus: Dícite Filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit: Ecce merces ejus cum eo. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua, sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum: Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Circumspexi, et non erat auxiliator: Quæsivi, et non fuit, qui adjuvaret, et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum. Miserationum Domini recordabor, laudem Do-

mini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus Deus noster.

Graduale. Psal. 68. Improperium expectávit cor meum, et miseriam: et sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non fuit: consolantem me quæsivi, et non inveni.

℣. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me aceto.

Tractus. Isaiæ 53. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

℣. Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.

℣. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

℣. Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

✠ Sequéntia sancti Evangelii secundum Marcum. Marc. 15.

In illo tempore: Cum jam sero esset factum (quia erat Parasceve, quod est ante Sabbatum) venit Joseph ab Arimathæa, nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur, si jam obiísset. Et accersíto centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. Joseph autem mercatus síndonem, et deponens eum involvit síndone, et posuit eum in monumento quod erat excísum de petra, et advolvit lápidem ad ostium monumenti.

Credo.

Offertorium. Exod. 28. Ingressus Aaron tabernaculum, ut holocaustum offerret super altare pro peccatis filiorum Israel, túnica linea indutus est.

Secreta.

Accepta tibi, Domine, sint hæc múnera, cui pro mundi salute grata éxtitit Filii tui passio gloriosa. Per eumdem Dominum nostrum, etc.

Præfatio de Cruce.

Communio. Marc. 15. Joseph autem mercatus Síndonem, et deponens eum involvit Síndone.

Postcommunio.

Satiasti, Domine, familiam tuam munéribus sacris: quæsumus, ut per temporalem Filii tui mortem, quam mysteria veneranda testantur, vitam te nobis dedisse perpetuam confidámus. Per eumdem Dominum nostrum.

FESTA MARTII.

DIE XI.

Ss. Cyrilli et Methodii
Episcoporum et Confessorum.

Missa Sacerdotes de Communi Confessoris Pontificis præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui per Beatos Confessores atque Pontifices Cyrillum et Methodium Evangelicæ veritatis lumen Illyricæ genti ostèndere voluisti: præsta quæsumus, ut eorum meritis et intercessione, dissipatis mentis nostræ tenebris, te perfecte agnoscere et diligere valeamus. Per Dominum.

Secreta.

Sanctorum Cyrilli et Methodii Confessorum tuorum atque Pontificum, quæsumus Domine, annua solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos; ut per hæc piæ placationis officia et illos beata retributio comitetur, et nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum.

Postcommunio.

Deus, fidelium remuneratio animarum, præsta: ut beatorum Cyrilli et Methodii Confessorum tuorum atque Pontificum, quorum venerandam celebramus festivitatem, precibus indulgentiam consequamur. Per Dominum.

DIE XVIII. MARTII.

S. Gabrielis Archangeli.

Missa ut in Missali Veneto primo loco

DIE XXV. MARTII.

Annuntiationis B. Mariæ V.

Missa ut in Missali Romano.

FERIA SEXTA
post Dominicam III. Quadrag.
Sacrarum Quinque Plagarum D. N. J. C.
Missa ut in Missali Veneto.

FERIA SEXTA
post Dominicam IV. Quadrag.
Pretiosissimi Sanguinis D. N. Jesu Christi.
Missa ut in Missali Veneto.

FERIA SEXTA
post Dominicam Passionis.
Septem Dolorum B. Mariæ V.
Missa ut in Missali Romano.

FESTA APRILIS.

DIE XIX.

S. Leonis IX. Papæ Confessoris.
Missa Statuit, etc. de Communi Confessoris Pontificis, præter Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui beatum Leonem Pontificem, sanctorum tuorum méritis coæquásti; concéde propítius: ut qui commemorationis ejus festa percolimus, vitæ quoque imitémur exempla. Per Dominum.

Secreta.

Annue nobis, quæsumus Domine: ut intercessione beati Leonis hæc nobis prosit oblatio, quam immolando, totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dominum.

Postcommunio.

Deus, qui animæ famuli tui Leonis, æternæ beatitudinis præmia contulísti; concede propítius: ut qui peccatorum nostrorum pondere prémimur, ejus apud te precibus sublevémur. Per Dominum.

DIE XXVII. APRILIS.

S. Peregrini Latiosi Confessoris.
Missa ut in Missali Veneto die 28 hujus.

Dominica III. post Pascha.
Patrocinii S. Joseph Confessoris
Sponsi B. Mariæ Virginis.
Missa ut in Breviario Veneto.

Dominica IV. post Pascha.
Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis
et omnium
Ecclesiarum consecratarum Diœcesis.
Missa de Communi.

FESTA MAJI.

DIE VII.

S. Domnii Episcopi Martyris.
Introitus. Act. VIII. 5. 6. 12.

Prædicabat Christum, et vidéntes signa, quæ faciébat, in nomine Jesu Christi baptizabántur viri et mulíeres. Alleluja, alleluja.
Psal. 116. Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.
℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per beatum Domnium Martyrem tuum atque Pontificem multos ad agnitionem tui sancti nominis venire tribuisti: ejus, quæsumus meritis et intercessione concede; ut quæ verbo et exémplo docuit, corde semper dilígere, et opere exercére valeamus. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios. 2. Cor. 1.

Fratres: Benedíctus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totíus consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possímus et ipsi consolari eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortationem, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur

pro vestra consolatione, sive exhortamus pro vestra exhortatione et salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas et nos patimur ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis in Christo Jesu Domino nostro.

Alleluja, alleluja.

℣. Fidem quam prædicavit Domnius glorioso sacravit sanguine. Alleluja.

℣. Psalm. 20. Posuisti, Domine, in cápite ejus coronam de lapide pretioso. Alleluja.

¶. Si vero hoc Festum transferatur post Pentecosten, dicitur

Graduale. Psal. 8. Gloria et honore coronasti eum.

℣. Et constituisti eum super opera manuúm tuarum, Domine.

Alleluja, alleluja.

℣. Hic est Sacerdos, quem coronavit Dominus. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucæ 10.

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dícite: Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edentes et bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitatem intravéritis, et suscéperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: et curáte infirmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. Eccli. 48. Sustulísti mortuum ab ínferis, de sorte mortis, in verbo Domini Dei: beati qui te vidérunt, et in amicitia tua decoráti sunt. Alleluja.

Secreta.

Sacrificium nostrum, quæsumus, tibi, Domine Deus, beati Domnii Martyris tui atque Pontificis et confessio veneranda, et válida commendet oratio. Per Dominum nostrum.

Communio. Eccli. 49. Ipse est directus divínitus in pœnitentiam gentis, et tulit abominationes impietatis. Alleluja.

Postcommunio.

Ad cœlestem mensam clementer admissi súpplices te, Domine, deprecámur, ut beato Domnio Martyre tuo, atque Pontifice intercedente, ad æterne vitæ gaudia perveníre feliciter mereamur. Per Dominum nostrum.

DIE X. MAJI.

Primæ Translationis Almæ Domus Beatissimæ Virginis Mariæ Tersactum.

Introitus. Gen. 28.

Terribilis est locus iste! hic domus Dei est, et porta cœli: et vocábitur aula Dei. Alleluja, alleluja.

Psal. 83. Quam dilecta tabernácula tua Domine virtutum! concupíscit, et déficit anima mea in atria Domini.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Deus, qui beatæ Mariæ Virginis Domum per incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrásti, eamque in sinu Ecclesiæ tuæ mirabíliter collocasti: concede; ut, segregati a tabernaculis peccatorum, digni efficiamur habitatores Domus sanctæ tuæ. Per eumdem Dominum.

Pro Commemoratione Sanctorum Gordiani et Epimachi Martyrum.

Oratio.

Da quæsumus omnipotens Deus: ut qui beatorum Martyrum tuorum Gordiani et Epímachi solemnia colimus, eorum apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum nostrum, etc.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 24.

In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morábor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Et sic in Sion firmata sum, et in civitáte sanctificata simíliter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicávi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illíus, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Líbano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi plátanus exaltata sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

Alleluja, alleluja.

℣. Psal. 83. Beati qui hábitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te. Alleluja.

℣. Psal. 137. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Alleluja.

¶. Si vero hoc Festum transferatur post Pentecosten, dicitur

Graduale. Psal. 26. Unam petii a Domino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

℣. Ut vídeam volùptatem Domini, et vísitem templum ejus.

Alleluja, alleluja.

℣. Psal. 83. Beati qui hábitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucæ 1.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis, Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitábat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenísti enim gratiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocábitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altissimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concépit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Credo.

Offertorium. Psal. 5. et 137. Introíbo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitébor nomini tuo. Alleluja.

Secreta.

Accipe, quæsumus Domine, múnera in hac sacra Domo dignánter obláta: et, beatæ Mariæ Virginis suffragantibus méritis, ad nostræ salútis auxilium provenire concéde. Per Dominum.

Pro Ss. Gordiano et Epimacho.

Secreta.

Hostias tibi, Domine, beatorum Martyrum tuorum Gordiáni et Epímachi dicátas méritis benignus assume: et ad perpétuum nobis tribue provenire subsídium. Per Dominum.

Præfatio. Et te in Festivitate beatæ Mariæ, etc.

Communio. Prov. 8. Beatus qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invénerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Alleluja.

Postcommunio.

Quæsumus Domine Deus noster: ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis no-

stræ munímine contulisti, intercedente beata Maria semper Virgine, et præsens nobis remedium esse facias et futurum. Per Dominum.

Pro Ss. Gordiano et Epimacho.
Postcommunio.

Quæsumus omnipotens Deus: ut qui cœlestia alimenta percépimus, intercedentibus sanctis Martyribus tuis Gordiano et Epimacho, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

DIE XIII. MAJI.

Commemoratio B. Mariæ Virg.
Sub Titulo De Planctu.

Missa de Comm. de S. Maria a Pascha usque ad Pentecosten.

DIE XV. MAJI.

S. Isidori Agricolæ Confessoris.

Introitus. Psal. 91.

Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Domini in atriis domus Dei nostri.

Psal. ibid. Bonum est confiteri Domino: et psállere nomini tuo, Altissime.

Gloria Patri etc.

Oratio.

Da nobis quæsumus omnipotens Deus, Beato Isidoro Agricola Confessore tuo intercedénte, superbe non sápere, sed ejus meritis et exemplis plácita tibi humilitáte deservíre. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Jacobi Apostoli. c. v.

Fratres, patientes estote, usque ad adventum Domini. Ecce agricola expéctat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accípiat temporáneum et seròtinum. Patientes ígitur estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit. Nolíte ingemíscere, fratres, in altérutrum, ut non judicémini. Ecce judex ante januam assístit. Exemplum accípite, fratres, exitus mali, labòris et patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinuérunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator. Confitémini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro ínvicem, ut salvémini; multum enim valet deprecátio justi assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis, et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum oravit et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.

Graduale. Psal. 36. Os justi meditábitur sapientiam et lingua ejus loquetur judicium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus. Alleluja, allel.

℣. Psal. 111. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. Alleluja.

Post Septuag. omissis Alleluja sequenti dicitur Tractus. Psal. 111. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicétur.

℣. Gloria et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur, Alleluja, alleluja.

℣. Ibid. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. Alleluja.

℣. Oseæ 14. Justus germinavit sicut lilium: et florebit in æternum ante Dominum. Alleluja.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem. c. 15.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera et pater meus agricola est. Omnem pálmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi mánserit in vite, sic nec vos nisi in me manséritis. Ego sum vitis vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine

me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petétis et fiet vobis.

Offertorium. Psal. 20. In virtute tua, Domine, lætabitur Justus, et super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ ejus, tribuisti ei.

Secreta.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has populi tui oblationes benignus assume, ut intercedente B. Isidoro Confessore tuo; quod fideliter pétimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

Communio. Matth. 10. Amen dico vobis quod vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis et vitam æternam possidébitis.

Postcommunio.

Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis cœleste mysterium, et præsta, ut S. Isidori Confessoris tui intercessione cujus exequimur cultum, sentiamus effectum. Per Dominum.

DIE XVI. MAJI.

S. Joannis Nepomuceni Martyris.

Missa ut in Missali Veneto, primo loco.

DIE XXI. MAJI.

S. Felicis a Cantalicio Confessoris.

Missa ut in Missali Romano.

DIE XXII. MAJI.

S. Job Prophetæ Confessoris.

Missa ut in Missali Veneto die 10 hujus.

DIE XXIV. MAJI.

Beatæ Mariæ Virginis sub Titulo Auxilium Christianorum.

Introitus. Sedulius.

SAlve, Sancta Parens, enixa puérpera Regem, qui cœlum, terramque regit in sæcula sæculorum. Alleluja, alleluja.

Psal. 44. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui ad defensionem populi Christiani in Beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti: concede propitius, ut tali præsidio muníti, certantes in vita victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 24.

Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non désinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

Tempore Paschali:

Alleluja, alleluja.

℣. Num. 17. Virga Jesse floruit: Virgo Deum et hominem genuit: pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis. Alleluja.

℣. Luc. 1. Ave Maria gratia plena; Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Alleluja.

Post Tempus Paschale:

Graduale. Benedicta, et venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.

Alleluja, alleluja.

℣. Post partum, Virgo inviolata perman-

sisti: Dei Genitrix, intercede pro nobis. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucæ 11.

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et úbera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Credo.

Offertorium. Luc. 1. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Alleluja.

Secreta.

Pro Religionis Christianæ triumpho hostias placationis tibi, Domine, immolamus, quæ ut nobis proficiant opera auxiliatrix Virgo præstet, per quam talis perfecta est victoria. Per Dominum.

Præfatio. Et te in Festivitate beatæ Mariæ, etc.

Communio. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium. Alleluja.

Postcommunio.

Adesto, Domine, populis, qui participatione Corporis et Sanguinis tui reficiuntur: ut sanctissima tua Genitrice auxiliante, ab omni malo et periculo liberentur, et in omni opere bono custodiantur. Qui vivis, et regnas, etc.

DIE XXXI. MAJI.

Beati Jacobi Salomonii Confessoris.

Missa Os Justi, etc. de Comm. Confessoris non Pontif. cum Comm. S. Petronillæ Virg.

FERIA SEXTA.

post Octav. Ss. Corp. Christi.

Sacratissimi Cordis Jesu.

Missa Egredimini et videte etc. ut in Missali Veneto pro Diœcesi Venetiarum, primo loco.

FESTA JUNII.

DIE IV.

Sancti Quirini Episcopi Martyris.

Introitus.

Gaudeamus, et exultemus in Domino diem festum celebrantes sub honore beati Quirini Episcopi et Martyris: quia circúmdedit eum Dominus diploide justitiæ, et imposuit capiti ejus coronam honoris æterni.

Psal. 83. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Deus, qui hodiernam diem beati Quirini Martyris tui atque Pontificis confessione gloriosa et passione consecrasti: concede propitius; ut populus tuus, qui de ejusdem triumpho congáudet et gloria, ipsius impigram Fidem imitetur, et invictam in exequendis mandatis tuis constantiam æmuletur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios. 2 Cor. 1.

Fratres: Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totíus consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possímus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas et nos pátimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes quod sicut socii passionum estis, sic éritis et consolationis.

Graduale 1. Petr. 4. Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.

℣. Ibid. Si exprobrámini in nomine Christi,

beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus: super vos requiescet.

Alleluja, alleluja.

℣. Sanctus Pontifex Quirinus per iter martyrii, et per confessionem nominis Domini Jesu Christi pervénit gloriosus ad regna cœlestia, alleluja.

Tempore Paschali:

Alleluja, alleluja.

℣. Eccli 45. Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, et gloria honoris, alleluja.

℣. Sap. 10. In vinculis non dereliquit illum, et certamen forte dedit illi, et claritatem æternam Dominus Deus noster, alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 10.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in Conciliis, et in Sinagogis suis flagellabunt vos: et ad præsides, et ad reges ducémini propter me in testimonium illis, et Gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quòmodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient: et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Offertor. Psal. 15. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Secreta.

Propitiare Domine, supplicationibus nostris, et has populi tui oblationes benignus assume, quæ ut Majestati tuæ gratiores reddantur, gloriosi Martyris et Pontificis Quirini intercessio accedat proficua. Per Dominum.

Communio. Apocal. 3. Qui vícerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Postcommunio.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio, quæsumus, ut nobis Sancti Quirini Martyris tui atque Pontificis pia non desit oratio, cujus nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

DIE XVI. JUNII.

S. Joannis Francisci Regis Confessoris.

Missa ut in Missali Veneto.

DIE XVIII. JUNII.

Beati Gregorii Barbadici Episcopi Confessoris.

Missa ut in Missali Veneto.

DIE XXI. JUNII.

S. Aloysii Gonzagæ Confessoris.

Missa ut in Missali Romano.

DIE XXIX. JUNII.

In Festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Commemoratio Omnium Sanctorum Apostolorum.

Missa dicitur sicut in Missali Romano, cum Commemor. SS. Apostolorum ut in Missali Veneto, primo loco.

FESTA JULII.

DIE VII.

S. Benedicti XI. Papæ et Confess.

Missa ut in Missali Veneto.

DIE XII. JULII.

SS. Hermagoræ et Fortunati Martyrum.

Missa ut in Missali Veneto.

DIE XX. JULII.

S. Margaritæ Virginis et Mart.

Missa ut in Missali Veneto die 30 hujus.

DIE XXI. JULII.

S. Danielis Prophetæ, et Confessoris.

Missa ut in Missali Veneto.

DIE XXV. JULII.

Sancti Jacobi Apostoli.

Titularis Ecclesiæ Cathedralis.

Missa ut in Missali Romano.

DIE XXVII. JULII.

S. Christophori Martyris Patroni æque Principalis Civitatis et Diœceseos.

Introitus. Psal. 63.

LÆtabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde.

Psal. id. Exaudi Deus, orationem meam cum deprecor a timore inimici éripe animam meam. Gloria Patri etc. Lætabitur.

Oratio.

Deus, qui Beatum Christophorum Martyrem tuum ad confessionem tui nominis venire tribuisti, da nobis ejus intercessione a mundi tribulationibus et periculis erui, atque a tentationibus liberari. Per Dominum nostrum, etc.

Lectio
Libri Sapientiæ.

Confitebor tibi, Domine Rex, et collaudabo te Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium, et in conspectu astantium factus es mihi adjutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui, a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam; et de portis tribulationum, quæ circumdederunt me: a pressura flammæ quæ circúmdedit me, et in medio ignis non sum æstuatus: de altitudine ventris inferi et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii, a rege iniquo et a lingua injusta. Laudabit usque ad mortem anima mea, Dominum, et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circumdederunt me úndique, et non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat. Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis tuæ, quæ a sæculo sunt; quoniam eruis sustinentes te, Domine, et liberas eos de manibus gentium. Exaltasti super terram habitationem meam, et pro morte defluente deprecatus sum. Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superborum sine adjutorio. Laudabo nomen tuum assídue, et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini.

Graduale. Psal. 36. Justus quum cecíderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

℣. Tota die miseretur et commodat, et semen ejus in benedictione erit. Alleluja. Alleluja.

℣. Joann. 8. Qui sequitur me non ámbulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ æternæ. Alleluja.

Post Septuagesimam: omissis Alleluja et versu sequenti, dicitur:

Tractus Psal. 111. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur.

℣. Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum. c. 10.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Nihil est opertum quod non revelabitur, et occultum quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse væneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem capilli cápitis omnes numerati sunt. Nolíte ergo timere, multis passéribus meliores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Dicitur Credo per totam octavam.

Offertorium. Psal. 20. Posuisti Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso: vitam petiit a te, et tribuisti ei.

Secreta.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut Beati Christophori Martyris tui meritis et exemplo efficiamur vivens hostia, sancta, beneplacens. Per Dominum.

Communio. Qui mihi ministrat me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

Postcommunio.

Da quæsumus, misericors Deus, ut qui cœlestis gloriæ pignus accépimus, intercedente Beato Christophoro Martyre, eam, pro tua pietate assequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

DIE XXX. JULII.

In Festo S. Eliæ Prophetæ.

Introitus. 3. Reg. 19.

Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, dixit Elias ad Dominum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio: derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut áuferant eam.

Psal. 29. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatum Eliam Prophetam tuum igneo curru mirabiliter elevatum esse credimus, eodem interveniente ad cœlestia sublevemur, et Sanctorum tuorum consortio gaudeamus, per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 48.

Surrexit Elias Propheta, quasi ignis, et verbum illius, quasi fácula, ardebat. Qui induxit in populos famem, et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt: non enim póterant sustinere præcepta Domini. Verbo Domini continuit cœlum, et dejecit de cœlo ignem ter; sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis: et quis potest similiter sic gloriari tibi? Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei. Qui dejecisti Reges ad perníciem, et confregisti facile potentiam ipsorum, et gloriosos de lecto suo. Qui audis in Sina judicium, et in Horeb judicia defensionis. Qui ungis Reges ad pœnitentiam, et Prophetas facis successores post te. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restitúere Tribus Israel.

Graduale 4. Regum 1. Factum est, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum, ibant Elias, et Eliseus de Gálgalis.

℣. Cumque incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque: et ascendit Elias per turbinem in cœlum.

Alleluja, alleluja.

℣. 1. Machab. 2. Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 17.

In illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum: et

transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix: Et ecce apparuerunt illis Moyses, et Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde. Et accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis: Surgite, et nolite timere. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

Offertorium. Jac. 5. Elias homo erat similis nobis passibilis, et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex: et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.

Secreta.

Offerimus tibi, Domine, hostiam laudis in honorem Sancti Eliæ Prophetæ tui: et sicut tu holocausto suo adfuisti, ita sacrificium nostrum suscipere digneris, ut per illud ad æternam mereamur pervenire lætitiam. Per Dominum.

Communio. Malach. 4. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.

Postcommunio.

Deus, qui per sanctum Angelum tuum beato Eliæ Prophetæ tuo cibum et potum tribuisti: ipso interveniente concede, ut quæ de cœlesti mensa percepimus, sinceris mentibus illibata servemus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

DOMINICA I. JULII.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Missa Redemisti nos, etc. ut in Missali Veneto feria Sexta post Dominicam IV. Quadrages. cum commem. Dominicæ occurr.

DOMINICA II. JULII.

Commemoratio Omnium Sanctorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum.

Introitus. Psal. 49.

Congregate illi sanctos ejus, qui ordinaverunt testamentum ejus, super sacrificia. Et annuntiabunt cœli justitiam ejus: quia Deus tuus sum ego.

Psal. Ibid. Deus deorum Dominus locutus est: et vocavit terram.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Deus, qui populis tuis indulgentia consulis, et amore dominaris: da spiritum sapientiæ, suffragantibus meritis Antistitum Ecclesiæ tuæ, quibus dedisti regimen disciplinæ: ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna pastorum. Per Dominum.

Deinde fit Commem. Dominicæ.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebr. Hebr. 13.

Fratres: Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: Quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Jesus Christus heri, et hodie: Ipse et in sæcula. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem, civitatem sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus

hostiam laudis semper Deo, idest fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem, et communionis nolite oblivisci: Talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

Graduale. Psal. 131. Sacerdotes ejus induam salutari: et sancti ejus exultatione exultabunt. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Alleluja, alleluja.

℣. Psal. 109. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 16.

In illo tempore: Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi: Et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es, Simon Bar-Jona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: Et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Credo.

Offertorium. Psal. 88. Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

Secreta.

Unigeniti Filii tui, quam tibi, Deus Pater omnipotens in honorem sanctorum Pontificum offerimus, immaculata Hostia prosit nobis ad medelam percipiendam. Per Dominum.

Altera Secreta Dominicæ occurrentis.

Communio. Psal 88. Veritas mea et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Postcommunio.

Da, quæsumus Domine, fidelibus populis, sanctorum Pontificum tuorum semper veneratione lætari, et eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum.

Alia Postcomm. Dominicæ occurrentis.

In fine Missa legitur Evangelium ejusdem Dominicæ.

DOMINICA III. JULII.

Sanctissimi Redemptoris Jesu.

Missa ut in Missali Veneto.

FESTA AUGUSTI.

DIE I.

Octava S. Jacobi Apostoli.

Missa ut in die.

DIE II. AUGUSTI.

S. Stephani Papæ Martyris.

Introitus. Psal. 131.

SAcerdotes ejus induam salutari, et Sancti ejus exultatione exultabunt.

Psal. Ibid. Memento Domine David: et omnis mansuetudinis ejus.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Deus, qui nos beati Stephani Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitius; ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Et fit Commem. Octavæ S. Christophori.

Oratio.

Deus, qui Beatum Christophorum Martyrem tuum ad confessionem tui nominis venire tribuisti, da nobis ejus intercessione a mundi tribulationibus et periculis erui, atque a tentationibus liberari. Per Dominum nostrum, etc.

Lectio Actuum Apostolorum.
Act. 20.

In diebus illis: A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocavit Majores natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis: Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum: quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, et docerem vos publice, et per domos, testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.

Gradual. Eccl. 44. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.

℣. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.

Alleluja, alleluja.

℣. Psalm. 109. Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Joann. 10.

In illo tempore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.

Et dicitur Credo, ratione Octavæ S. Christophori.

Offertorium. Psal. 88. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

Secreta.

Munera tibi, Domine, dicata sanctifica: et, intercedente beato Stefano Martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum.

Pro Octava S. Christophori.
Secreta.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut Beati Christophori Martyris tui meritis et exemplo efficiamur vivens hostia, sancta, beneplacens. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Communio. Matth. 25. Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum: euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tuo.

Postcommunio.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine: et, intercedente beato Stephano Martyre tuo atque Pontifice, cœlestis remedii faciat esse consortes. Per Dominum.

Pro Octava S. Christophori.
Postcommunio.

Da quæsumus, misericors Deus, ut qui cœlestis gloriæ pignus accepimus, intercedente Beato Christophoro Martyre, eam, pro tua pietate assequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

DIE III. AUGUSTI.

Octava S. Christophori Martyris.

Missa ut in die.

DIE VIII. AUGUSTI.

Beati Augustini Lucerini.

Missa: Statuit etc. de Communi Episcop. Confessor. primo loco præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiæ tuæ in B. Augustino Confessore tuo atque Pontifice boni pastoris exemplum providere dignatus es: concede propitius, ut ejus intercessione in loco pasquæ tuæ perpetuo collocari mereamur. Per Dom.

DIE XI. AUGUSTI.

Sanctæ Susannæ Virginis Martyris.

Missa Loquebar etc. de Comm. pro Commem. S. Tiburtii Mart.

Oratio.

Sancti Martyris tui Tiburtii, nos, Domine, foveant continuata præsidia; quia non desinis propitius intueri, quos talibus auxiliis concesseris adjuvari. Per Dominum.

Secreta.

Adesto, Domine, precibus populi tui, adesto muneribus: ut quæ sacris sunt oblata mysteriis, tuorum tibi placeant intercessione sanctorum. Per Dominum.

Postcommunio.

Sumpsimus, Domine, pignus redemptionis æternæ: quod sit nobis, quæsumus, interveniente Sancto Martyre tuo, vitæ præsentis auxilium pariter et futuræ. Per Dominum.

DIE XIV. AUGUSTI.

S. Alphonsi Mariæ de Ligorio Episc. Conf.

Introitus. Luc. 4.

Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.

Psal. 77. Attendite, popule meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Deus, qui per beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum, atque Pontificem animarum zelo succensum Ecclesiam tuam nova prole fœcundasti: quæsumus, ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati, ad Te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Timotheum. 2. Tim. 2.

Charissime: Confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu; et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docére. Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo, ímplicat se negotiis sæcularibus: ut ei placeat, cui se probavit. Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Intellige, quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

Graduale. Psal. 118. Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et cónsolatus sum: defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

℣. Psal. 59. Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, et salutare tuum dixi.

Alleluja, alleluja.

℣. Eccli. 49. Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, et tulit abominationes impietatis: et gubernavit ad Dominum cor ipsius, et in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Alleluja.

¶. Post Septuag. omissis Alleluja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Psal. 34. Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio: humiliabam in jejunio animam meam: et oratio mea in sinu meo convertetur.

℣. Psal. 22. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me; impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians, quam præclarus est!

℣. 1. ad Corinth. 9. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifácerem.

¶. Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Alleluja, alleluja.

℣. Psal. 132. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum: sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Alleluja.

℣. Joann. 15. Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangeli secundum Lucam. Lucæ 10.

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos

ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Offertorium. Prov. 3. Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei. Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, et ipse benefac.

Secreta.

Cœlesti, Domine Jesu Christe, sacrificii igne corda nostra in odorem suavitatis exure, qui beato Alphonso Mariæ tribuisti et hæc mysteria celebrare, et per eadem hostiam tibi sanctam seipsum exhibere. Qui vivis, etc.

Communio. Eccli. 50. Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum, quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne.

Postcommunio.

Deus, qui beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum atque Pontificem, fidelem divini mysterii dispensatorem et præconem effecisti: ejus meritis, precibusque concede; ut fideles tui, et frequenter percipiant, et percipiendo sine fine collaudent. Per Dominum.

DIE XVI. AUGUSTI.

Sancti Rochi Confessoris.

Missa ut in Missali Veneto.

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. Helenæ Imperatricis Viduæ.

Introitus. Galat. 6.

Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

Psal. 22. Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. ℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui locum, ubi Crux tua latebat, beatæ Helenæ revelasti, ut per eam Ecclesiam tuam hoc pretioso thesauro ditares: ejus nobis intercessione concede, ut vitalis ligni pretio æternæ vitæ præmia consequamur. Qui vivis et regnas.

Fit Comm. Octavæ ac simplicis.

Lectio Libri Sapientiæ.

Prov. 31.

Mulierem fortem quis inveniet? Procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam, et linum, et operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, et emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus, et purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo, et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ: et lex clementiæ in lingua

ejus. Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt: vir ejus, et laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.

Graduale. Psal. 44. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: filiæ regum in honore tuo.

℣. Adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi: afferentur in lætitia et exultatione, adducentur in templum Regis.

Alleluja, alleluja.

℣. Psal. 111. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 13.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem, qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, et vetera.

Et dicitur Credo, ratione Octavæ Assumptionis B. M. V.

Offertorium. 1. Cor. 2. Non enim judicavi me scire aliud, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.

Secreta.

Per hæc sacra mysteria concede nobis, Domine, ut sicut beatæ Helenæ misericorditer tribuisti, ut Filium tuum crucifixum in corde semper gestaret; ita et nos eum in cordibus nostris perpetuo deferamus. Per eumdem Dominum nostrum.

Et dicitur Præfatio de beata Maria Et te in Assumptione.

Communio. Cant. 7. Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus.

Postcommunio.

Concede nobis, misericors Deus, ut qui salutiferæ Crucis tuæ fructu in terra sumus recreati: per intercessionem beatæ Helenæ, eodem jugiter perfrui mereamur in cœlis. Qui vivis et regnas.

DIE XIX. AUGUSTI.

Sanctæ Philumenæ Virginis Martyris.

Missa Loquebar, etc. de Comm.

DIE XX. AUGUSTI.

S. Bernardi Abbatis Confessoris et Eccl. Doctoris.

Missa In medio Ecclesiæ de Communi Doctorum.

DOMINICA IV. AUGUSTI.

Purissimi Cordis Beatæ Mariæ Virginis.

Introitus. Psal. 44.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus: adducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi.

Psal. id. Eructavit cor meum verbum bonum: dico opera mea Regi.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Corde Beatæ Mariæ Virginis dignum Spiritus Sancti

habitaculum præparasti, concede propitius, ut ejusdem Purissimi Cordis festivitatem devota mente recolentes, secundum Cor tuum vivere valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem.

Lectio Libri Sapientiæ.

Cantic. 8.

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Graduale. Sap. 7. Nihil inquinatum in eam incurrit: Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.

℣. Cant. 6. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

Alleluja, alleluja.

℣. Luc. 1. Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Alleluja.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 2. g.

In illo tempore: dixit Mater Jesu ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis: Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. Credo.

Offertorium. Judith. 13. Quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum: ideo et manus Domini confortavit te, et eris benedicta in æternum.

Secreta.

Majestati tuæ, Domine, Agnum immaculatum offerentes, quæsumus, ut corda nostra ignis ille divinus accendat, qui Cor Beatæ Mariæ Virginis ineffabiliter inflammavit. Per Dominum.

Præf. Et Te in festivitate B. M. Virginis.

Communio. Cant. 2. Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Postcommunio.

Divinis refecti muneribus Te, Domine, suppliciter exoramus, ut Beatæ Mariæ Virginis intercessione, cujus Purissimi Cordis solemnia venerando egimus, a præsentibus periculis liberati, æternæ vitæ gaudia consequamur. Per Dominum.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE IV.

Sancti Marini Diaconi Confessoris.

Introitus. Psal. 23.

Adjutor et protector noster est, in co lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus.

Psal. 67. Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ.

℣. Gloria. Adjutor.

Oratio.

Deus qui Beatum Marinum Confessorem tuum Sanctorum tuorum gloria sublimasti: concede nobis famulis tuis, ut cujus patrocinio gloriamur, ejus meritis ac intercessione ab omnibus adversis liberemur in terris, et beatæ vitæ gloriam assequamur in cœlis. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ. Eccl. 45.

Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. In fide et in lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum et vocem ipsius, et induxit illum in nubem. Et dedit

illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ.

Graduale. Jer. 12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.

℣. Psal. 12. Quia bonum mihi est adhærere Deo, ponere in Domino Deo spem meam. Alleluja, alleluja.

℣. Gen. 12. Egredere de terra tua et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi. Alleluja.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum c. 19.

In illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit.

Offert. Obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum.

Secreta.

Acceptum fiat in conspectu tuo, Domine, nostræ servitutis munus, et Beati Marini oratio, ut qui a nobis veneratur in terris, sic apud te pro nobis sit advocatus in cœlis. Per Dominum.

Communio. Psal. 131. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.

Postcommunio.

Tribuant nobis quæsumus, Domine, continuum tua sancta præsidium, quo Beati Marini Confessoris tui precibus nos ab omnibus tueamur adversis. Per Dominum nostrum.

DIE XXIX. SEPTEMBRIS.

Dedicatio Sancti Michaelis Archangeli
Patroni Principalis
Civitatis et Diœcesis Sibenicensis.

Missa ut in Missali Romano per totam Octav.

DIE XXX. SEPTEMBRIS.

Sancti Hieronymi Confessoris
et Ecclesiæ Doctoris
Totius Dalmatiæ Patroni.

Missa ut in Missali Romano sicuti et in die Octavæ.

FESTA OCTOBRIS.

Die VIII.

Sancti Simeonis Prophetæ.

Missa ut in Missali Veneto die 9 Februarii, præter orationem sequentem.

Oratio.

Perfice in nobis quæsumus Domine gratiam tuam qui Justi Simeonis expectationem implesti, ut sicut ille mortem non vidit, nisi prius videret Christum Domini, ita et nos vitam obtineamus æternam. Per Dominum nostrum.

DIE XII. OCTOBRIS.

Sanctæ Justinæ Virginis Martyris.

Missa ut in Missali Veneto die 8 hujus.

DIE XXI. OCTOBRIS.

Sanctarum Ursulæ et Sociarum
Virginum Martyrum.

Introitus. Apoc. 14.

Cantabant quasi canticum novum ante sedem: virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque ierit.

Psal. 148. Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

Gloria Patri, etc.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, sanctarum Virginum et Martyrum tuarum Ursulæ et Sociarum ejus, palmas incessabili devotione venerari: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum nostrum.

Et fit Commem. S. Hilarionis Abbatis.

Oratio.

Intercessio nos, quæsumus Domine, beati Hilarionis Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 39.

Obaudite me divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini ejus magnificentiam et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in canticis labiorum, et citharis, et sic dicetis in confessione: Opera Domini universa bona valde.

Graduale. Daniel. 3. Quasi ex uno ore laudabant, et glorificabant, et benedicebant Deum.

℣. Sap. 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.

Alleluja, alleluja.

℣. In perpetuum coronatæ triumphant, incoinquinatorum certaminum præmium vincentes. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 25.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes: sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum; prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime vero veniunt et reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

Offertorium. Sap. 5. Apud Dominum est merces earum, et cogitatio earum apud Altissimum: ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini.

Secreta.

Intende, quæsumus Domine, munera altaribus tuis pro Sanctarum Virginum et Martyrum tuarum Ursulæ et Sociarum ejus, festivitate proposita: ut sicut per hæc beata mysteria illis gloriam contulisti, ita nobis indulgentiam largiaris. Per Dominum.

Pro S. Hilarione Abbate. Secreta.

Sacris altaribus, Domine, hostias superpositas sanctus Hilarion Abbas, quæsumus, in salutem nobis provenire deposcat. Per Dominum.

Communio. Matth. 22. Respondens Jesus, ait Sadducæis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cœlo.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Domine, intercedentibus Sanctis Virginibus et Martyribus tuis: ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum.

Pro S. Hilarione Abbate.

Postcommunio.

Protegat nos, Domine, cum tui perceptione Sacramenti beatus Hilarion Abbas pro nobis intercedendo: ut et conversationis ejus experiamur insignia, et intercessionis percipiamus suffragia. Per Dominum.

DIE XXII. OCTOBRIS.

S. Aquilini Episcopi Confessoris.

Missa Statuit de Comm. i. loco.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

S. Raphaelis Archangeli.
Missa ut in Missali Romano.

DOMINICA I. OCTOBRIS.

Solemnitas SS. Rosarii B. M. Virginis.
Missa ut in Missali Romano.

DOMINICA II. OCTOBRIS.

Maternitatis B. Mariæ Virginis.
Missa ut in Missali Veneto.

DOMINICA III. OCTOBRIS.

Puritatis B. Mariæ Virginis.
Missa ut in Missali Veneto.

DOMINICA IV. OCTOBRIS.

Commemoratio Omnium Sanctorum, quorum Corpora vel Reliquiæ asservantur in Diœcesi Sibenicensi.

Introitus. Eccli 44.

Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem, et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

Psal. 32. Exultate justi in Domino: rectos decet collaudatio.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Auge in nobis, Domine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operaris: et fac nos immortalis gloriæ participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum.

Deinde fit Commem. Dominicæ occurr.

Lectio libri Sapientiæ. Sap. 3. et 5.

Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: et æstimata est afflictio exitus illorum: et quod a nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos.

Graduale. Psal. 149. Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

℣. Ezech. 37. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israel.

Alleluja, alleluja.

℣. Mich. 5. Erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucæ 20.

In illo tempore: Accesserunt quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, et interrogaverunt Jesum, dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, et suscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant: et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis. Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem, et non reliquerunt semen, et mortui sunt. Novissime omnium mortua est et mulier. In resurrectione ergo cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem. Et ait illis Jesus: Filii hujus sæculi nubunt, et traduntur ad nuptias: illi vero qui digni habebuntur sæculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt; et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. Quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum sicut dicit Dominum Deum Abraham,

et Deum Isaac, et Deum Jacob. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim vivunt ei. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magister, bene dixisti. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare. Credo.

Offertorium. Psal. 32. et 33. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus: populus quem elegit in hæreditatem sibi. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.

Secreta.

Quæ Sanctorum tuorum, Domine, aras consecrat hostia immaculata, eorum meritis, dignum tibi in cordibus nostris præparet habitaculum. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Altera Secreta Dominicæ occurrentis.

Communio. Coloss. 3. Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo: Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.

Postcommunio.

Multiplica super nos, Domine, misericordiam tuam, ut sicut per hæc sancta mysteria quæ sumpsimus, in Sanctorum tuorum, quorum Reliquias colimus, solemnitate lætamur, ita eorum perpetua societate, te clementer largiente, perfrui mereamur. Per Dominum nostrum.

Alia Postcomm. Dominicæ occurrentis.

In fine Missæ legitur Evangelium ejusdem Dominicæ.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE V.

In Festo
S. Zachariæ Prophetæ.
Missa ut in Missali Veneto.

DIE VI. NOVEMBRIS.

In Festo
S. Leonardi Confessoris.
Missa ut in Missali Veneto.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

In Festo
S. Joannis Ursini Episcopi Confessoris.

Introitus. Eccli. 45.

Statuit ei Dominus testamentum pacis, et principem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum.

Psal. 131. Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. Gloria Patri.

Oratio.

Deus pacis et dilectionis, qui beatum Joannem Confessorem tuum atque Pontificem in sedandis ac componendis dissidentium animis sollicitum effecisti, ejus, quæsumus, intercessione concede, ut charitatis vinculo colligati, sempiternam in cœlis pacem consequamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos. Rom. 12.

Fratres: Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Graduale. Eccli. 44. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.

℣. Act. 7. Hic est Moysis æmulator, qui litigantes reconciliabat in pace dicens: Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum?

Alleluja, alleluja.

℣. 2. Mach. 3. Hic est Oniæ Pontificis pietatem referens, quo sanctissime moderante, civitas habitabatur in omni pace. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Luc. 10.

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: et si ibi fue-

rit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Offertorium. Eccli. 50. Det nobis Deus jucunditatem cordis, et fieri pacem in diebus nostris per dies sempiternos.

Secreta.

Respice, Domine, propitius super hæc munera, quæ tibi in solemnitate Beati Joannis Episcopi unanimes offerimus: et da nobis per merita illius semper idipsum sapere in alterutrum, ut quos Christiana societate connectis, continua pace custodias. Per Dominum.

Communio. Eccli. 24. In medio populi sui exaltatus est, et in plenitudine sancta admiratus est, alleluja.

Postcommunio.

Cœlesti nos, Domine, pane satiati, Beato Joanne Confessore tuo atque Pontifice interveniente deprecamur, ut charitate fraternitatis invicem diligentes tibi jugiter placeamus. Per.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

S. Agrippini Episcopi Confessoris.

Missa de Comm. 2. loco: Sacerdotes tui præter orationem sequentem.

Oratio.

Deus qui gregem tuum ab insidiis hostium Fidei, B. Agrippini Confessoris atque Pontificis, pastorali sollicitudine præservasti; dignare, quæsumus, ejusdem suffragantibus meritis, inter oves tuas, nos perpetuo custodire. Per Dominum.

DIE XXI. NOVEMBRIS.

In festo

Præsentationis B. Mariæ Virginis.

Missa ut in Missali Rom. per tota Octav.

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

In Festo

S. Chrysogoni Martyris.

Missa In Virtute ut in Missali Romano proprio loco.

DOMINICA II. NOVEMBRIS.

In Festo

Patrocinii B. Mariæ Virginis.

Missa ut in Missali Romano proprio loco.

FESTA DECEMBRIS.

DIE IV.

In Festo

S. Barbaræ Virginis Martyris.

Missa ut in Missali Veneto.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS

Postquam Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX Anno 1854 Dogma de Immacnlata Beatæ Mariæ Virginis Conceptione, universo plaudente Orbe Catholico, solemniter proclamavit, vetus Christifidelium pietas erga splendidissimum istud Deiparæ privilegium, nova veluti addita flamma, adeo exarsit, ut si hoc Festum nequeat VI Idus Decembris, quæ propria est ipsius dies, ob occursum Dominicæ secundæ Adventus celebrari, vehementer doleant diu quandoque protrahi debere.

Communibus itaque Cleri, populique fidelis votis Sanctitas Sua satisfacere cupiens, quod de duobus aliis Beatissimæ Dei Genitricis Festis, Purificatione et Annuntiatione a Sacra Rituum Congregatione cautum est Decreto Urbis et Orbis diei 20 Julii Anni 1748, ad Festum quoque Conceptionis extendere dignata est, ac proinde jussit, ut quibus Annis prædictum Festum occurrerit in Dominica secunda Adventus, transferendum sit in Feriam secundam immediate sequentem, quocumque festo etiam æqualis, non tamen altioris ritus in eam incidente.

Hoc autem Decretum promulgari, atque in generalibus Calendarii Romani rubricis adjici voluit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 24 Maji 1860.

C. Episcopus Albanen: Card. Patrizi S. R. C. Præf.

H. Capalti S. R. C. Secretarius.

DIE VIII. DECEMBRIS.

In Festo IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. M. V.

Introitus. Psal. 65.

Venite, et audite, et narrabo vobis, omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ.

Psal. 102. Benedic anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

℣. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: ejus nobis intercessione concede; ut cor et corpus nostrum immaculatum tibi, qui eam ab omni labe præservasti, fideliter custodiamus. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Lectio libri Sapientiæ. Prov. 8.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege, et gyro vallabat abyssos: quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens: et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Nunc ergo, filii, audite me: Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

Graduale. Prov. 9. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.

℣. Psal. 45. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio ejus non commovebitur. Alleluja, alleluja.

℣. Luc. 1. Ave Maria gratia plena: Dominus tecum. Alleluja.

¶. Post Septuag. omissis Alleluja et ℣. seq. dicitur:

Tractus. Luc. 1. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

℣. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

¶. Tempore Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicitur: Alleluja, alleluja.

℣. Psal. 45. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio ejus non commovebitur, alleluja.

℣. Psal. 86. Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Alleluja.

✠ Initium Sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 1.

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, et fratres ejus. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uríæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassem. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Credo.

Et dicitur per totam Octavam etiam in festis infra eam occurrentibus.

Offertorium. Psal. 36. Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum.

Secreta.

Fac nos, clementissime Deus, puris mentibus præsens tibi munus offerre, qui in corde Beatæ Mariæ Virginis puram ab omni labe mansionem præparasti Jesu Christo Filio tuo, Domino nostro: Qui tecum vivit.

Præfatio, Et te in Conceptione immaculata. Et sic dicitur per totam Octavam, et in Missis votivis, et per annum.

Communio. Cant. 6. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia, alleluja.

Postcommunio.

Mensæ cœlestis pasti deliciis, tuam, Deus, misericordiam imploramus, ut sanctissimæ Virginis Mariæ, quæ semper tibi placuit, precibus adjuti, nullis a te tentationibus separemur. Per Dominum.

¶. Infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, et in die Octava dicitur Missa sicut in die Festi; sed infra Octavam dicitur secunda Oratio Feriæ, tertia de Spiritu Sancto, vel de Festo Simplici occurrente. Si vero occurrat dies Dominica, dicitur secunda Oratio de Octava.

DIE XIV. DECEMBRIS.

S. Spiridionis Episcopi Confessoris.
Missa ut in Missali Veneto.

DIE XVII. DECEMBRIS.

B. Joannis Marinonii Confessoris.
Missa ut in Missali Veneto die 2. Martii.

DIE XVIII. DECEMBRIS.

Expectationis Partus B. Mariæ Virginis.
Missa ut in Missali Veneto.

DIE XXVI. DECEMBRIS.

Commemoratio Omnium Sanctorum Martyr. ut in Missali Veneto.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Post Orationem pro Papa, dicitur:

Oremus et pro Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Episcopo nostro N., ut Deus et Dominus noster, qui divina miseratione

Episcopatus onus humeris ejus imposuit, benignitatis suæ illi gratiam largiatur, ne ponderis magnitudinis oppressus, humanæ fragilitatis imbecillitate deficiat.

Oremus.

Flectamus genua. ℟. Levate.

Deus, qui licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosus operaris in minimis, concede famulo tuo N. Episcopo nostro religiosissimo, sacris convenienter servire Mysteriis, atque in omnibus tua misericordia protegat, quem conscientiæ reatus accusat. Per Dominum.

Deinde dictis Monitione et Oratione pro omni gradu Ecclesiæ, ut in Missali, loco eorum quæ sunt pro Imper. Rom. dicitur:

Oratio.

Oremus et pro gloriosissimo Imperatore Nostro N. ut Deus et Dominus Noster det illi sedium suarum assistricem sapientiam, qua populum sibi commissum gubernet in omni justitia et sanctitate ad divinam gloriam, et nostram perpetuam pacem.

Oremus.

Flectamus genua. ℟. Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regnis omnibus æterna potestate dominaris, respice ad Austriacum benignum Imperium, ut et Imperator juste imperando, et populus fideliter obediendo ad gloriam tui nominis et Regni tranquillitatem unanimi pietate conspirent. Per Dominum.

U Petak Veliki izza molitve za Papu rečese.

Molimo i za prisvitloga i pripoštovanoga Gospodina Biskupa našega I. da, Bog i Gospodin naš koji je po svojem miloserdju brime Biskupstva na njegova pleča napèrtio, milost svoje blagosti njemu udili, da ga veličanstvo težine ne pritisne, i od slabosti čovičanske nejakosti pogine.

Pomolimose. Prignimo.

Bože, koji prem da si velik u velikih, ali čudnovitija slavnije činiš u najmanjih, podaj Slugi tvomu I. Biskupu našemu pripobožnomu, da sveta Otajstva dostojno izvèršuje, i da u svih tvoje miloserdje brani onoga Koga duševna Krivica osvadjuje. Po Isukerstu.

Zatim posli Molitavah za svaki cerkovni Red kakono u Misalu, misto onih za Rimškoga Cesara, rečese:

Molimo i za prislavnoga Cara našega I., da mu Bog i Gospodin naš podili mudrost stoječu kod pristolja svojega, neka s njom vlada naručeni sebi puk u svakoj pravdi i svetinji, na božju slavu, i naš vikoviti mir.

Pomolimo se. Prignimo Kolina. - Dignite se.

Svemogući vični Bože Koji nad svimi Kraljestvi vičnom vlasti gospoduješ, milostivo pogledaj na austrijansko Carstvo, da Car pravedno zapovidajući, a puk virno slušajući, svi zajedno na slavu tvojega Imena, i na pokoj kraljestva pobožno sudiluju. Po Gospodinu i ost.

SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS DECRETUM.

IMPERII AUSTRIACI

Fulget jam in Ecclesiæ fastis, atque in ævum magna circumdatum gloria fulgebit augustum Francisci Josephi I. Austriæ Imperatoris nomen, quod domestica sanctorum Decessorum suorum Stephani Ungarici et Henrici cognomento Pii imitatus exempla omnem curam cogitationemque suam, Imperio vix inito, illuc potissimum intenderit, ut jura Catholicæ Ecclesiæ inter subditos sibi populos inviolabilia conclamaret, ac, discretis Dei Cæsarisque rationibus, Omnipotenti Deo per quem Reges regnant et Legum Conditores justa decernunt, quæ Dei forent prompto hilarique animo redderet. Insignis adeo in Deum ejusque Ecclesiam pietas, quam ingenti cum plausu totus, qua late patet, Catholicus orbis excepit, ejusmodi profecto est ut Apostolica Sedes non modo de tanto Imperatore veluti de piissimo sibique charissimo filio glorietur, sed oblatas sibi occasiones eidem gratificandi, quantum in Domino possit, libentissime arripiat.

Cum itaque Augustissimus idem Imperator vehementer cupiat publicas quæ a vetustissima ætate in Universa Ditione Austriaca pro supremo Imperante consueverunt hactenus adhiberi preces tam in Missis solemnibus per annum, non exclusa Missa Præsanctificatorum feria VI. in Parasceve, quam in Præconio Paschali die Sabbathi Sancti atque in litaniis Sanctorum, ab Apostolica Sede ratas haberi, ut ejus auctoritate accedente omnimodam firmitatem accipiant, et ad certam fixamque methodum redigantur, supplicia ea de re vota sua per suum in Urbe Legatum Ss. Domino Nostro PIO P.P. IX. exhiberi curavit. Hac porro occasione cum per eumdem Legatum suum enixe postulaverit, ut nomen supremi Imperantis in Canone Missæ amodo adjiciatur ad normam potius usus, qui ab Austriaco Imperio constituto invaluit, quam anterioris privilegii a Summo Pontifice Clemente XIII. Imperatrici Mariæ Theresiæ, ejusque successoribus indulti Apostolicis Litteris sub annulo Piscatoris datis anno 1761. diebus V. et VI. Maji, Sanctitas Sua, matura deliberatione præmissa, volens singularis Suæ ac vere paternæ benevolentiæ tanto Imperatori tradere pignus, porrectis ab Eo votis de benignitate Apostolica, annuere dignata est, præfatasque publicas preces sub modo et forma infradicendis ratas habuit et confirmavit, atque in omnibus et singulis Ecclesiis Latini Ritus intra fines Imperii Austriaci constitutis recitari mandavit, contrariis quibuscumque, ipsisque superioribus Clementis XIII. Apostolicis Litteris, quibus ad effectum dumtaxat præsentis Indulti expressa derogavit, minime obstantibus.

Methodum autem in istiusmodi precibus usurpandam, atque indeclinabiliter ab omnibus et singulis Latini Ritus Ecclesiis in universa Ditione Austriaca servandam hanc esse voluit.

1. In Missæ Canone nomen Imperatoris adjicietur hac adhibita formula: Et pro Imperatore Nostro N.; quæ dicenda erit post mentionem factam Romani Pontificis et Episcopi Diœcesani.

2. In singulis per annum Missis vel solemnibus, vel Parochialibus, diebus tamen quibus per Rubricas licebit, sequens addetur pro Imperatore Collecta:

Oratio.

Quæsumus omnipotens Deus, ut famulus tuus N. Imperator Noster, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus vitiorum monstra devitare, hostes superare, et ad Te, qui via, veritas et vita es, gratiosus valeat pervenire. Per Dominum, etc.

Secreta.

Munera, Domine, quæsumus oblata sanctifica, ut et nobis Unigeniti tui corpus et sanguis fiant; et Imperatori Nostro ad obtinendam animæ corporisque salutem, et peragendum injunctum officium, Te largiente, usquequaque proficiant. Per Dominum.

Postcommunio.

Hæc Domine, Oblatio salutaris famulum tuum N. Imperatorem Nostrum ab omnibus tueatur adversis, quatenus et Ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, et post hujus temporis decursum ad æternam perveniat hæreditatem. Per Dominum.

Quibus vero in Diœcesibus viguit hactenus consuetudo canendi insuper in Missa solemni sive post antiphonam Communionis, sive post ultimum Evangelium, versiculum - Domine, salvum fac Imperatorem Nostrum N. et exaudi nos in die, qua invocaverimus te - firma eadem consuetudo perstabit.

3. In Missa Præsanctificatorum feria VI. in Parasceve inter Orationem pro cunctis Ecclesiæ Ordinibus et aliam pro Catechumenis, hæc pro Imperatore dicetur:

Oratio.

Oremus, et pro gloriosissimo Imperatore Nostro N. ut Deus et Dominus Noster det illi sedium suarum assistricem sapientiam, qua populum sibi commissum gubernet in omni justitia et sanctitate ad divinam gloriam et nostram perpetuam pacem.

Oremus. Flectamus genua. ℟. Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regnis omnibus æterna potestate dominaris, respice ad Austriacum benignum Imperium, ut et Imperator juste imperando, et populus fideliter obediendo ad gloriam tui nominis et Regni tranquillitatem unanimi pietate conspirent. Per.

4. Præconium Paschale sabbatho sancto hac ratione concludetur:

Precamur ergo Te, Domine, ut nos famulos tuos, omnemque Clerum et devotissimum populum una cum Beatissimo Papa Nostro N. et Antistete Nostro N. nec non gloriosissimo Imperatore Nostro N., quiete temporum concessa, in his Paschalibus gaudiis assidua protectione regere, gubernare et conservare digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

5. In Litaniis Sanctorum cum deventum fuerit ad preces, inter versiculum - Ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ etc. - et alium - Et Regibus et Principibus etc. - addetur - Ut Imperatorem Nostrum custodire digneris. ℟. Te rogamus audi nos. - Item post Psalmum - Deus in adjutorium etc. dicto versiculo - Oremus pro Pontifice Nostro N. ℟. Dominus conservet etc. illico subjungetur ℣. Oremus pro Imperatore Nostro N. ℟. Domine, salvum fac Imperatorem et exaudi nos in die, qua invocaverimus te. - Denique, absolutis precibus, immediate post Orationem pro Papa adjicietur Oratio pro Imperatore superius notata - Quæsumus omnipotens Deus, etc.

Has itaque pro Imperatore Augustissimo preces Santissimus Dominus Noster ratas habuit et confirmavit, easque in omnibus Latini Ritus Ecclesiis intra Ditionem Austriacam sitis recitari voluit, omni in superioribus formulis variatione prohibita, salva tantum consuetu-

dine, ubi hactenus viguit, Imperatorem ipsum in publicis precibus semper decorandi duplici titulo Imperatoris et Regis.

Cum autem Constitutionibus Apostolicis cautum sit, ne quæ ex singulari Sanctæ Sedis privilegio uni alterive tantum Diœcesi, Provinciæ vel Regno concessa fuere, in corpus Missali et Breviarii Romani inserere liceat; ut generali huic præscriptioni omnes in Imperio Austriaco fideliter obtemperent, jussit Sanctitas Sua preces ipsas una cum præsenti Decreto adjici solum debere in Appendice Missalis et Breviarii Romani pro diversis locis destinata, vel supplemento Missarum atque Officiorum uniuscujusque Diœcesis proprio.

Quo tandem Episcopi ceterique Ordinarii in locis degentes Austriacæ Dominationi subjectis certam de his homnibus habere possint notitiam, ac pro sollicitudine muneris Pastoralis, plenam perfectamque superiorum quarumcumque ordinationum executionem curare, idem Sanctissimus Dominus Noster præsens voluit a S. R. Congregatione ferri decretum, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romæ die X. Februarii 1860.

(Loco ✠ Sigilli.) C. Episcopus Albanensis Card. Patrizi,
S. R. C. Præfectus.

H. Capalti,
S. R. C. Secretarius.

Hoc exemplum cum Originali concordare testamur. In quorum fidem etc.

Vindobonæ die XXV. Aprilis 1860.

Ant. De-Luca,
(L. ✠ S.) Archiep. Tarsensis, Nuntius Apostolicus.



INDEX

MISSARUM SANCTORUM

QUÆ IN HOC PROPRIO CONTINENTUR

JANUARIUS.

FEBRUARIUS.

MARTIUS.

APRILIS.

MAJUS.

JUNIUS.

JULIUS.

7. B. Benedicti XI. Pap. Conf. ibid.
12. ss. Hermagorae et Fortunati MM. 23.
20. s. Margaritae Virg. Mart. ibid.
21. s. Danielis Prophetae. ibid.
25. s. Jacobi Apostoli. ibid.
27. s. Christophori Mart. ibid.
30. s. Eliae Prophetae. 24.

Dominica I. Julii. Pretiosissimi Sanguinis Domini N. J. C. 25.

Dominica II. Julii. Commemoratio Omnium Sanctorum Romanae Ecclesiae Pontificum. ibid.

Dominica III. Julii. SS. Redemptoris Jesu. 26.

AUGUSTUS.

1. Octava s. Jacobi Ap. ibid.
2. s. Stephani Papae et Mart. ibid.
3. Octava s. Christophori Mart. 27.
8. B. Augustini Lucerini Ep. Conf. 27.
11. s. Susannae Virg. Mart. 28.
16. s. Rochi Conf. 29.
18. s. Helenae Imperatricis Viduae. ibid.
19. s. Philumenae Virg. Mart. 30.
20. s. Bernardi Abb. Conf. Eccl. Doct. ibid.

Dominica IV. Augusti. Purissimi Cordis B. Mariae Virg. ibid.

SEPTEMBER.

4. s. Marini Diaconi Conf. 31.
29. Dedicatio s. Michaelis Archang. 32.
30. s. Hieronymi Conf. Eccl. Doct. ibid.

OCTOBER.

8. s. Simeonis Prophetae. 32.
12. s. Justinae Virg. Mart. ibid.
21. s. Ursulae et Sociarum MM. ibid.
22. s. Aquilini Ep. Conf. 33.
24. s. Raphaelis Archang. 34.

Dominica I. Octobris. Solemnitas Ss. Rosarii B. Mariae Virg. ibid.

Dominica II. Oct. Maternitatis B. Mariae Virg. ibid.

Dominica III. Oct. Puritatis B. M. V. ibid.

Dominica IV. Oct. Commemoratio Omnium Sanctorum quorum Corpora vel Reliquiae asservantur in Dioec. Sibenic. ibid.

NOVEMBER.

5. s. Zachariae Prophetae. 35.
6. s. Leonardi Conf. ibid.
14. s. Joannis Ursini Episc. Conf. 36.
21. Praesentationis B. M. V. ibid.
24. s. Chrysogoni Mart. ibid.

Dominica II. Novemb. Patrocinii B. M. V. ibid.

DECEMBER.

4. s. Barbarae Virg. Mart. 36.
8. Immaculatae Conceptionis B. M. V. 37.
14. s. Spiridionis Episc. Conf. 38.
17. B. Joannis Marinonii Conf. ibid.
18. Expectationis Partus B. M. V. ibid.
26. Commemoratio Omnium Sanctorum Mart. ibid.

FINIS.